

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis
Libri Quatuor**

Graziani, Antonio Maria

Parisiis, 1669

Cap. XIV. De Marcelli, & Pauli Pontificum Maxx. studio erga eum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9616

& dignitatem institutus , omnibus sordere , sanguinem , quām toga magis placere. Neque liberiū vivere , ac se prorsus hilaritati dedere. Denique conviviis , ludis , spectaculis indulgere , cum mulieribus discumbere , cum iisdem vñā vectari per urbem turpe , ne gravibus quidem , & honoratis viris habebatur : adeò licentia , & consuetudo mores , judiciaque corruperat. Hæc Julius eodem depravatus vñu , & fecerat juvenis , & fieri se Pontifice facile est passus , virtutis cultor magis , quām vindex vitiorum. Sed Commendono sponte honestis , & priscis moribus insistenti tot inquinata corruptelis tempora in gloriam cessere , cuius etiam fructum secuta mox severior ætas attulit.

De Marcelli , & Pauli Pontificum Maximorum Studio erga eum.

CAPUT XIV.

MARCELLUS Cervinus , qui secundus est appellatus , in Julii locum Pontifex creatur. Cujus tanta virtutis opinio fuit , tanta spes restituendi per eum antiquam disciplinam , pristinumque cultum , ac splendorem religionis , & Christianæ Reipublicæ , ut præclarè actum cum illo videri possit , quod intra vigesimum diem ostentatus terris , erexitisque fuerit. Neque enim erat mediocris sapientiæ , motæ de se tantæ expe-

stationi respondere. Et is quibus diebus Pontifex est renunciatus Commendonum vltro accutum inter familiares receperat. Et Joannes Petrus Carafa qui ei successit, cui Paulo IV. nomen est inditum, statim Pontificiis epistolis scribendis designavit. Cui muneri vnâ cum illo Paulus insignes dignitate, & eruditione viros, partitis inter eos provinciis præposuit. Joannem Casam Archiepiscopum Beneventanum, Annibalem Borzutum Archiepiscopum Avenionensem, Antonium Ælium Episcopum Polensem, Angelum Massarellum item Episcopum, & Sylvestrum Aldobrandinum Jurisconsultum, ad quem postea ob excellentem industriam, atque fidem, aliorum senescente gratiâ, rerum propè omnium summa delata est. Paulus non solum dignitate princeps amplissimi ordinis, sed sacrarum rerum doctrinâ, eloquentiâ, magnitudine animi, innocentia morum, & totius vitae sanctitate; & ad hæc ætatis quoque honore longè inter omnes Patres eminebat. Itaque ei Commendonus in Cardinalatu præcipuam observantiam, cultumque tribuerat. Et ipse senex adeò juvenis ingenio est delectatus, ut multas sâpe horas cum eo, legendo, differendoque nunc de privatis, nunc de publicis rebus perfamiliariter, jucundèque consumeret, eumque haud ferme alio, quam filii nomine appellaret. Pontificalibus comitiis prælato Marcello, cui ipse quoque Paulus, etsi quinque & viginti annos natu minori suffragatus erat, omnes de il-

G ij

lo spes omnibus deciderant , concurrentibꝫque ad Marcellum cunctis , desertum , destitutumque ab omnibus , quibus anteà coli , frequentarique solebat , Commendonus tum maximè assiduus cum illo , majori , quām anteà studio affectari , deducere , observare , & ad omnia præstò esse . Itaque ergo creatus Pontifex Commendonum ob modestiam adire ad eum differentem , vltro requisivit , habitationem in Palatio , sumptūmque largè præberi jussit , Carolo , & Joanni fratribus filiis commendavit verbis , & pluribus , & aman- tissimis , ac filium ipsum , quoties mandaturus ei aliquid esset , appellare perseveravit . Arcanis & rebus , & sermonibus inter intimos ministrorum admittens . Nullius denique operâ libentiùs vti , ac ne consuetudine quidem , ac domestica collo- cutione cuiusquam æquè delectari est visus . Pri- mis inde Pontificatus diebus , ignarum , non so- lùm non petentem , Zacinthiorum Episcopum designavit , Venetorum Legato coram honorifi- cā oratione prosecutus . Abnuentem , séque im- parem ferentem Pontifex osculatus admonuit honores pari pudore recusaret , ac peteret ; quæ enim ei nullo ipsius ambitu , aut studio , sed vltro deferrentur ab eo , cui vis divinæ potestatis inesset , perinde accipienda , ac si manifesto Dei ipsius instinctu obvenirent . Cum Episcopatu Be- neficium ei in Veronensi agro dedit , cuius an- num vecigal erat quingentorum aureorum numûm .